

Beiheft

2

S 87

1219 Dft. 30.

[6

Die Äbtissin Cunegundis von Frekenhorst befundet die Beilegung eines Streites um den Hof in Enen zwischen der Äbtissin Gertrudis von Metelen u. dem Dechanten Friedrich von Frekenhorst.

In nomine sancte et individue Trinitatis. C. Dei gratia abbatissa et conventus sanctimonialium in Vrekenhorst omnibus Christi fidelibus, quibus hoc scriptum fuerit exhibitum, oracionum suarum communionem. Quoniam et hominum vita brevis est et memoria labilis, expedit, ut ea, quorum noticia et memoria in posterum reputatur esse necessaria, scripture testimonio commendentur. Notum igitur esse cupimus tam posteris quam presentibus, quod, cum olim inter dominam G., venerabilem abbatissam de Metelen, et F., decanum ecclesie nostre, super decimis curtis de Enen et mansorum ad eandem pertinentium, quas idem decanus F. nomine ecclesie nostre tunc temporis tenebat, cum controversia diutius ventilata fuisset, tandem per sollicitudinem et laborem domini H., tunc decani Monasteriensis, eadem controversia cum approbatione et consensu nostro in pace sub hac forma in perpetuum est sopita, videlicet ut predictus decanus et ecclesia nostra nomine decimarum de supradicta curte in Enen II maltia siliginis, de manso Wernardi totidem maltia siliginis, de reliquo manso I malt siliginis per mensuram decimalem, insuper minutas decimas secundum generalem provincie consuetudinem singulis annis percipiant, omni cavillatione in posterum cessante. Ut igitur huiusmodi amicabilem compositio inconcussa permaneat, et predictum F. decanum et ecclesiam nostram liqueat oportere esse contentos predicta summa siliginis nomine decimarum percipiendarum, ad declarandum assensum et approbationem nostram hoc presens inde scriptum dedimus sigillis nostris communitum. Datum anno incarnati verbi M^oCC^oXIX^o, indictione septima, III Kl. Novembris, presentibus F. decano, H. plebano, Hartwino sacerdote et Brunone [et] Rynoldo concanonico et universo conventu sanctimonialium in Vrekenhorst et Lutberto sacerdote de Enen et aliis quam pluribus.

Orig. Siegel ab; T. II F. 25 P. 2 Nr. 26; hiernach Regest Wilmans III, S. 70 Nr. 137.